

Breviario Romano; — attamen ita, ut vetium existimari non possit, debita cum modestia, & gravi fundamento, quæ occurrunt in factis historicis, difficultates exponere, easque iudicio Sedis Apostolicæ supponere, ut eorum veritatem, & robur perpendat, si quando manus iterum ad Breviarii Romani correctionem: quæ ipsa videtur esse sententia plurimorum, qui de historiis relatis in nonnullis lectionibus secundi Noeturni Breviarii Romani dubitare visi sunt.

186. Obicit ultimo ab eodem Gravina, & Patre Dominico à SS. Trinitate expensum argumentum, quod ad longum propositum dein sub hac forma stringit. Non minoris videntur auctoritatis Epiphanius, Beda, Leo I. Leo IV. Gregorius VII. insuper mox citata Concilia, quam Ruffinus, Eusebius, Photius, Athanasius, &c. sed quia ipsi aut referunt, aut Epistolaram aliquot priscorum Pontificum meminerunt, illas ut genuinas Eruditi Critici approbant: ergo quia illi literarum Isidorianæ Collectionis mentionem faciunt, istam pari veneratione debeat suscipere.

Resp. Leonem I. & IV. non loqui de his Epistolis, ut supra N. 173. & 177. visum est. Quod Bedam, & Greg. VII. attinet, de illis una responsum est N. 176. Ad Epiphanium, quem cum Ruffino pro solis Epistolis Clementinis refert, dico pariter ut supra, de authenticis harum Epistolarum primis jam sæculis inter Patres fuisse disceptatum. Accedit, quod S. Epiphanius loco à Liberio ex hæresi 30. citato circuitus Petri censet genuinum S. Clementis factum; qui tamen non tantum à Gelasio in decreto supra relato, sed à tota Literatorum Republica inter apocrypha amandantur. Et hæc de primaria Collectionis Isidorianæ parte, conformiter ad instructionem saluberrimam Sanctissimi Patris Nostrî Benedicti Papæ XIV.

187. Præter Decretales Epistolas, Romanis Pontificibus à Clemente I. usque ad Siricium falso inscriptas, nonnulla in hac

Collectione inveniuntur, atque à Gratiano adoptata sunt, non minus de suppositione suspecta, imo convicta. Quæ ob operis angustiam hic recensebimus, indicando dumtaxat Auctores, qui de illis ex professo agunt. Itaque primo loco occurrit edictum, sive donatio Constantini M. quæ existit apud Gratianum *dist. 96. c. 1. & 14.* sub nomine *paleæ*, quam supposititiam probant Cardinalis Cusanus *lib. 3. Conegrd. Cath. c. 2.* S. Antoninus *p. 1. hist. tit. 8. c. 2.* Baronius *ad A. 1191. Lupus tom. 5. Scholiorum ad Can. 8. dictatus Greg. VII. Nat. Alex. & alii.*

188. Secundo, in hac Collectione exhibetur Synodus Romana II. sub S. Sylvestri A. 324. habita, cum 20. suis Canonibus; eaque tanquam excerpta quedam ex *Synodalibus gestis S. Sylvestri proponitur*: quæ gesta Burchardus, Ivo, & Gratianus pro indubitatis habuerunt; illius Canonem 3. refert Gratianus 2. q. 4. c. 2. item q. 7. 10. Canonem 14. 11. q. 1. c. 9. & 10. quam supposititiam probant notæ Labbei ad hoc Concilium, Petrus de Marca, Lupus, Nat. Alex. & alii.

189. Tertio, in illa prostat exemplar epistolæ formatae sub hoc titulo: *Epistola formata, qualiter debet fieri*; referturque à Gratiano *dist. 73. c. 1. & 2.* quam ex fictitiis Isidori commentis esse notant Eruditi; sicut & Epistolam S. Athanasii ad Marcum Papam, cuius fragmentum est apud Gratianum *dist. 16. c. 12.* quam cum cæteris putidis mercibus huius mercatoris rejiciunt Baronius, Bellarminus, alique periti Critici: ut monet nota marginalis Labbei *tom. 2. Concilior. Labbeanae editionis col. 469.*

190. Quarto, præter Epistolas jam explosas Siricii Antecessorum, Anastasio I. Siricii Successori suppositum idem Isidorus Epistolam primam ad omnes Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos, cuius fragmenta referuntur *dist. 98. c. 2. & dist. 1. de consec. 68.* item secundam ad Nerianum, quam insinuat Gratianus 3. q. 2. c. 27. utramque

ficti-

fictitiis Isidori mercibus annumerat Labbeus, alique.

191. Quinto, Sixto III. probabilissime etiam supposita, atque ex Gregorii M. Sixto multo junioris, scriptis confarcinata videtur ep. ad Orientales Episcopos, cuius meminuit Gratianus sub nomine Gregorii I. 11. q. 3. c. 55. item 2. q. 5. c. 10. item 2. q. 8. c. 4. & 2. q. 7. c. 50. sub nomine Synodi Romanæ; circa quam in margine notat Labbeus: *Fidei admodum suspectæ, imo nullius.*

192. S. Leoni I. adscriptam ep. ad universos Germaniæ, & Galliæ Episcopos de privilegio Chorepiscoporum sive Presbyterorum suppositam, multa arguunt, inquit Labbeus. Fragmentum illius refertur à Grat. *dist. 68. c. 4.* illam posse adscribi Leoni III. censet Quenellius.

193. Septimo, Joannis I. Epistolam Decretalem ad Zachariam Archiepiscopum de non accusandis Episcopis nota consularis adscripta, aliaque multa supposititiam, & ab Isidoro fabricatam esse evincunt, monente Labbeo, & consentit ipse Binius. Ejus fragmenta plura sunt in Gratiano sub nomine Eusebii 2. q. 7. c. 13. & ibidem q. 2. c. 4. & 3. q. 1. c. 4. & c. 3. præcedente sub nomine Joannis I.

194. Octavo, Bonifacii II. Ep. ad Eulalium Alexandrinum Episcopum falsam & adulterinam, & Ecclesiæ summe injuriosam proclamant Bellarminus, Baronius, alique; unamque esse ex impudentissimis huius Pseudo-Isidori commentis ostendit, & pro merito exagitat Baronius ad a. c. 530. & in notis ad Martyrologium R. ad 16. Octobris, pag. 705. Fragmentum est apud Gratianum *dist. 89. cap. 7.*

195. Nono, Literas Joannis III. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ adulterinas omnes Docti censent; nec ipse, Baronius præeunte, ausus est refragari Binius, ait Labbeus in nota marginali *tom. 5. Concilior. col. 823.* Occurrit fragmentum apud Gratianum 8. q. 1. c. 1.

Tom. I.

196. Decimo, Epistolam ad Secundum inclusum S. Gregorio vel integram supposititiam Pseudo-Isidorus, vel saltem variis affumentis interpolavit; atque inter alia decretum de recipiendis lapsis Sacerdotibus relatum à Grat. *dist. 50. c. 16.* huic epist. assutum esse erudite ostendit Petrus Guffanvilleus in notis ad dictam ep. *lib. 7. indic. 2. ep. 54.*

197. Plura quidem in hac Collectione supposititia obruduntur; at hæc specialiter indicare placuit, ut Canonum studiosis Gratiani decreto incumbentes apocrypha à sinceris vetustatis monumentis secerere queant; præsertim quia & Correctores Romani suppositionis harum mercium notitiam nullam habuisse videntur, aut saltem eam nec verbo insinuarunt: ut patet manifeste ex literis Bonifacii II. & Joannis III. N. 194. & 195. relatis, quas, licet nunc ab universo Eruditorum orbe unanimi consensu reprobentur, illi tamen non notarunt.

§. VI.

De Capitulis vulgo Hadriani.

198. HÆC Capitulorum Collectio prodiit ad sæculi VIII. finem, videlicet a. 785. ut scribit Hincmarus Rheim. in *opusculo adversus Hincmarum Laudun.* c. 24. eamque pleraque editiones repræsentant sub hoc titulo: *Hadriani Papæ Capitula, quæ ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque decretis Præsulum ac Principum Romanorum sparsim collecta sunt, & Ingilramno Mediatrix Urbis Episcopo Roma à Beato Hadriano Papa tradita sub die 13. Kalendas Octobris, indictione IX. A. vero C. 785.* ut suspicatur Antonius Augustinus. Ex quo titulo habemus materiam huius Collectionis. In cuius dispositione nec ordo temporum, nec argumentorum servatur, cum non sit integra Canonum Collectio, sed epitome. Exstant hæc Capitula

capitula cum notis ejusdem Illustrissimi Prælati apud Coletum tom. 8. Concil. à pag. 697. cum hac Sirmondi admonitione: *Qui sequuntur Hadriani Canones, & decreta, seu sententia — in postrema editione, quæ Antonii Aug. notis illustrata est, ita distincta atque distributa sunt, ut 72. capitulis comprehendantur. Cæterum 80. numero fuisse constat. Hoc enim prioris editionis titulo suo restantur, & Gratianus, aliique Canonum Collectores, cum horum Canonum testimonio utuntur, eundem numerum agnoscunt. Quare, quoniam in exemplaribus quoque nostris confusi, & sine numerorum notis erant, pristinum numerum, id est, octogentiarum ex conjectura reddimus.*

199. Quis sit Author horum Capitulorum, sicut an Epistolæ decretales veterum Pontificum ex his Capitulis, an potius hæc Capitula ex illis Epistolis sint confecta, supra N. 182. jam visum est. Sed quidquid sit de primo, sitne Hadrianus I. an Ingiltramnus horum Capitulorum Collector, dubitari nequit, quin hæc Collectio, licet Ingiltramnum Authorem habuisset, Hadriano non tantum fuerit oblata, sed etiam benigne ac gratiose ab eo recepta: ut nec mirum sit, si successu temporis Hadriani nomine fuerit publicata.

200. Porro sicut decretales illæ veterum Pontificum, faventibus Summis Pontificibus, & nonnullis Episcopis, summa veneratione susceptæ fuere, & in auctoritatem transferre, ut superius dictum est; ita quoque hæc Capitula, multa cum eisdem communia habentia, tantam venerationem sibi conciliarunt, ut etiam nonnunquam Episcopi eadem sibi & Ecclesiis suis pro lege observanda proposuerint; inter quos specialiter nominandus venit Hincmarus Laudunensis. Earundem auctoritatem studuit infringere Hincmarus Rheimensis, qui propterea Hincmari Laud. subscriptionem his Capitulis factam vellat c. 36. *opusc.* adversus eundem editi.

201. Plurima ex his, quæ in laudatis

Capitulis occurrunt, decreto Gratiani inserta sunt. At è multis colligitur, Gratianum illa non ex hæc Capitulorum Collectione sumpsisse, sed ex variis Canonum Collectoribus. *Primo*, quia nunc sub uno, nunc sub alio titulo proponuntur. *Secundo*, quia segmenta horum Capitulorum sæpe valde mutila ac confuse refert. *Tertio*, quia interdum plura fragmenta ex variis his Capitulis desumpta in unum constat; eaque conflata & sensum obscuriorem, & à textu originali aliquando plane dissimulatum efformat. *Quarto*, quia nescit, aut certe non advertit hæc Capitula esse desumpta, aut materia eandem habentia cum decretalibus veterum Pontificum; nam 4. q. 6. c. 3. verba refert ex ep. Felicis Papa, quæ Canone 4. repetit sub nomine Hadriani Papa; sub quo nomine ut plurimum hæc Capitula laudat; nunquam vero in fronte Canonum ex his Capitulis relatorum *Ly Capitula* nominat, ut monet Baluzius; in Canone enim 40. 2. q. 6. ubi in editione Romana correctæ legitur: Hadrianus Papa ait in Capitulis à se collectis cap. 44. hæc posteriora per Correctores sunt addita, cum antea simpliciter legeretur: *Unde Hadrianus. Papa ait.* Hinc quisque facile colliget, quam utilis sit ad intellectum Canonum in decreto Gratiani relatorum hæc Capitulorum notitia, ac insuper scire, quæ horum sit auctoritas; ut & sensus Canonum Gratiani haberi possit, & statui, quam vim obligandi habeant, cum hæc major esse nequeat, quam sit ipsorum fontium, unde desumpta sunt, uti infra, agendo de Decreto Gratiani, monstrabitur.

§. VII.

De Capitularibus Regum Francorum.

202. Capitularia Regum Francorum hoc potissimum nomine donata sunt, quod in publicis Comitibus vel Synodis Episcoporum & Populi consensu ab ipsis Principibus ederentur, in iis præsertim casibus,

pro quibus in Legibus Francorum nulla habebatur dispositio. Unde Doctissimi du Fresne in suo Glossario verbo *Capitularia*, hæc Capitula, ait, fuisse *legum appendices & additamenta*, eaque in Synodis sancita. Quamvis iisdem cæteroque ad veram rationem legum nil defuerit.

203. Hæc Capitularia ut plurimum in Generali Procerum tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum Conventu edita fuisse sat aperte colligitur tum ex Carolo M. lib. 6. *Capitular.* c. 371. & Carolo Calvo in Capitulari apud Carisiacum a. 837. c. 8. tum clarius ac latius ex ejusdem Capitularis ibidem a. 877. habitis c. 2. Ex quo docemur, in his Conventibus adfuisse cum ipso Principe Episcopos, & cæteros fideles, id est, Abbates, Duces, Comites, aliosque Proceres, uti legitur in præfatione c. 2. a. 813.

204. Ex his patet magnam horum Capitularium, etiam in causis Ecclesiasticis, fuisse auctoritatem, paremque iis cum sacris Conciliorum Canonibus honorem ab Episcopis delatum fuisse, sat innuit præfatio Episcoporum, qui a. 881. apud Martyrium S. Marie convenerunt, quæ exstat apud Coletum tom. 11. pag. 509. Quin uno verbo Episcopi Gallicani Capitularia vice Canonum habebant; nam Herardi Turonensis Archiepiscopi Capitula, quæ constat ex libris Capitularium Regum Francorum esse excerpta, dicuntur *excerpta ex corpore sacrorum Canonum.* Verum nihil est, quod Capitularium auctoritatem amplius commendare possit, quam illud, quod ex epist. Leonis IV. post Ivonem refert Gratianus *dist. 10. c. 9.* ubi ait: *De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, & vestrorum Pontificum Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, & conservandis, quantum volumus Christo propitio, & nunc & in ævum nos servaturos omnibus modis prostermur. Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.*

205. Ansegisus Abbas, vulgo Lob-

benis, circa A. 827. Caroli M. & Ludovici Pii Capitula diversis temporibus edita, ac sparsim in membranis asservata, primus in unum corpus collegit, eaque in 4. libris digessit; duobus libris comprehendens ea, quæ pertinent ad Legem Ecclesiasticam, & duobus ea, quæ pertinent ad legem mundanam; atque semper in primo libro Caroli M. & in secundo Ludovici Pii Capitula complectens: uti expressis terminis habet in præfatione. Hanc Collectionem Ludovicus Pius suam fecit, & Carolus Calvus eam, tanquam publicum Legum Francicarum Codicem laudat in Capitularibus post A. 827. editis.

206. Ansegisus plurima Caroli M. & Ludovici Pii Capitula omiserat, nec Constitutiones Pipini, & Carolomanni fuisse Collectioni intulerat; quarum tamen frequens usus erat: quapropter Benedictus Levita Moguntinensis, jussu Autgarii illius Metropolis Archiepiscopi novam, ac uberiorem Capitularium Collectionem ex Scribis Moguntiacis circa A. 845. adornavit, eamque in tres libros distributam nobilissimus Ludovicus Pii Imperatoris Filius Lothario, Ludovico, & Carolo Regibus dedicavit.

207. Materiam hujus Collectionis, ejusdemque dispositionem ipse in præfatione aperit; & secundum illam primo loco ponit nonnullos versus in laudem horum Principum; deinde libro I. comprehendit ea Capitula, quæ circa controversiam edita essent à Regibus Francorum in publicis Conventibus; ac subinde duobus posterioribus ea complexus est, quæ Principum jussu ab Episcopis, aut Viris doctis excerpta erant ex Sacris Scripturis, Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum, ex dictis SS. Patrum, ex Constitutionibus Synodalibus, ex Codice Theodosiano, seu Antiani interpretationibus, Pauli sententiis, Julii Antecessoris Novellis, Codice Legum Wisigothorum, ex Lege Salica, ex Lege Rjpariorum, ex Lege Bojuariorum; ex his enim Benedicti Collectio confecta

flata est, confule sane facta, nullo servato temporum ordine, & aliis mendis laborans; nec tamen culpandus est Vir ille, cuius labore & industria ex schedulis confisis Seriniorum Ecclesie Moguntiacae nobis conservata sunt temporum illorum pulcherrima, & utilissima monumenta, prout ea invenire potuit. Quibus tamen intermiscuit permutata ex epistolis apocryphis Veterum Romanorum PP. de quo vide supra N. 183. & alia quaedam incerta, ac ipsa Patrum loca mutila interdum refert. Ut proin horum Capitularium fides quidem nos certos reddat de eo, quod saeculo illo moribus obtinuit, aut creditum fuit; primitivam tamen Ecclesie disciplinam magno cum defectu ex iisdem colligere debeamus.

208. Hæc Benedicti Collectio mox recepta fuit, atque 4. libris Ansegisii Abbatis affuta. Cum illis hodie constituit 7. libros Capitularium Regum Francorum, ita ut primus liber Benedicti sit ordine quintus. Post quos hodie sequuntur 4. additiones. Quorum omnium absolutissimam editionem A. 1677. adornavit doctissimus Stephanus Baluzius.

209. Quantopere horum Capitularium lectio conducere queat ad moderni Juris Canonici notitiam, advertet is, qui pervolvendo decretum Gratiani videbit, quam multa in eo ex Capitularibus passim occurrant, quæ ex iisdem dilucidari debent. Eofdem enim defectus commisit in referendis his Capitularibus, quos supra N. 201. occasione Capitularum Hadriani notavimus. Quibus occurrere studuerunt Correctores Romani, qui proinde emergente casu consulendi erunt.

§. VIII.

De Collectione Reginonis Abbatis.

210. **C**ollectionem hanc sub initium sæculi X. Regino Abbas Monasterii Prumiensis Ordinis S. Benedicti in

Diecepsi Trevirorum, jubente Rathbodo Trevirensium Archiepiscopo, adornavit, cum æmulorum invidiis, & injuriis auctoritate Principis Abbatis dignitate cedere coactus, suspicem Monachum ageret, teste Trithemio in Chronico Hirsaugensi.

211. Titulum operi præfixit sequentem: *Incipit libellus de Ecclesiasticis disciplinis, & Religione Christiana, collectus ex jussu D. Metropolitanæ Rathbodi Trevericæ Urbis Episcopi, à Reginone quondam Abbate Prumiensis Monasterii, ex diversis Sanctorum Patrum Conciliis, & Decretis RR. Pontificum feliciter in nomine Domini. Amen.*

212. Hanc materiam ordine argumentorum, cum vulgari artificio digessit: opus namque divisit in duos libros; in quorum primo tractat de rebus, & Personis Ecclesiasticis; in secundo de vita, & conversatione Laicorum, ut ipsem docet in præfatione libri secundi. Deinde in fronte libri I. ponit *Inquisitionem*, seu formulam inquisitionis, secundum quam Episcopi interrogare debebant de vita, & conversatione Clericorum; sub initium vero secundi *Inquisitionem* ab Episcopo faciendam contra Laicos. His generalibus inquisitionis regulis postea subjicit auctoritatem canonicam, id est, Canonum, aliarumque sanctarum institutionum auctoritatem, quibus fulciri, & probari queant capita, quæ in utraque *Inquisitione* continentur. Inter quas frequenter citat Epistolas Romanorum Pontificum, quas vere illorum esse constat: at veterum Pontificum Pseudo-decretales, ab Isidoro confictas, raro; ut vel inde appareat; Reginonem non magni eas fecisse.

Hoc Reginonis opusculum, quod merito inter Collectiones Canonum reponitur, post Hildebrandi Helmshtadensis de A. 1659. factam editionem, vulgavit, ac notis illustravit doctissimus Baluzius.

213. Hæc Collectio imprimis Studiosis loco compendii servire potest, in qua compendiose pleraque disciplinæ Ecclesiasticæ

tica puncta variis canonibus, & testimoniis asserita videntur. Insuper subservit, ut reperiantur fontes aliquorum, quæ apud posteriores Collectiones reperiuntur; plura enim Burchardus, de quo §. sequenti, ex Reginone derivavit: Burchardo autem Gratianus, & Decretalium Collectores frequenter usi fuere, ejusque fidem secuti sunt, ut infra ostendetur.

§. IX.

De Decreto Burchardi Episcopi Wormatiensis.

214. **B**urchardus ex Monacho Lobien-
sis Monasterii Ord. S. Benedicti Episcopus Wormatiensis in Germania, Alberti Gemblacensis Abbatis apud Lobias quondam auditor, atque discipulus; ejus in canone sit mentio 73. dist. c. 1. in nomine Domini; vir in divinis Scripturis studiosissimus, & valde eruditus, scripsit ex sententiis Sanctorum Patrum, & generalium Conciliorum, atque Summorum Pontificum magnum, & insigne opus post Isidorum, videlicet, Decretorum, quod divisit in libros XX. Scribit Trithemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

215. Hoc volumen, quod hodie per abusum, ad exemplum fortassis decreti Gratiani, vocatur decretum Burchardi, aggressus fuit Burchardus, hortante, & urgente Brunehone Wormatiensi Ecclesie Præposito, ut ipse refert in ep. operi præfixa, & Præposito inscripta. Motivum, cur laudatus Præpositus ad obeundam hancce proviacionem eundem adhortatus fuerit, & urserit, in eadem præfatione exponit; quod nempe Canonum jura, atque penitentiarum formæ in sua Dicecesi valde essent confusa, & inter se discrepantes; cui malo proinde hac sua compilatione occurrere voluit.

216. Opus itaque suum in 20. libros

distribuit, atque unicuique suam materiam attribuit, singulorumque librorum indicem, & summam in fronte sui operis præmittit. De qua Antonius Aug. in opusculo de Collectoriis Canonum c. 27. ita loquitur: *Laudanda est Burchardi maxima diligentia in colligendis variis sententiis ex Conciliis, & Decretis Pontificum Romanorum, & aliis scriptis SS. Virorum. Item ex Imperatorum, & Regum sanctionibus, aliisque libris. Laudo etiam ejus prudentiam in discernendis, & separandis rebus, de quibus agitur: quomvis alius fortasse ordo aptior inveniri potuisset; tamen hic ipse ab eo excogitatus non est inutilis, &c.* Hoc unum dolendum, Burchardum pro sæculi sui obscuritate & incuria, nullum pene habuisse scriptorum selectum; sed omnia, quæ suo scopo videbat congruere, in unum congestisse; opusque suum multis apocryphis, & falsis inscriptionibus implevisse.

217. Quod inde factum est, quia ex erat sæculi, quo floruit Burchardus, miseria, ut authenticum crederetur fere quidquid in Canonum, aut aliorum monumentorum Collectionibus inveniebatur. Hinc in more positum erat, non ad ipsos fontes recurrere, sed solas Canonum Collectiones revolvere; & quidquid in his pro materia, quam tractare volebant, opportunum videbatur, tanquam authenticum arripere; uti recte notavit Antonius Aug. & decretum Gratiani correctum demonstrat.

218. Quapropter cum etate sua famosa esset Isidori Mercatoris Collectio, ea sine discretionem usus est, & fragmentis epistolarum apocrypharum Veterum RR. Pontificum, aliorumque suppositiorum monumentorum volumen suum implevit. Ex Reginone etiam, notante Baluzio, 670. circiter capite sine omni criterio defloravit; & consequenter omnia illius menda in suam Collectionem transtulit; quin ex malo intellectu Reginonis plurimos errores proprios addidit.

219. Hinc factum, ut quemadmodum

Burchardus, neglectis fontibus, rivulus, & stagna confuluit; ita qui post Burchardum Canones colligere instituerunt, Burchardi fidem secuti, plurima ab ipso collecta in suas Collectiones transtulerunt. Et quidem Gratianum in multis simpliciter Burchardi fidem secutum fuisse, eoque ex capite in multiplices errores incidisse, à multis jam pridem annotatum est, & videri potest in notis Correctorum RR. Quod vero ad Collectores Decretalium attinet, hi non tantum Burchardi fidem in referendis canonibus, & decretis secuti sunt, sed & nomen ejusdem aut operis laudarunt; nomen quidem sub litera B. aut corrupta voce *Brocard*, uti constat tum ex Bernardo Papiensi, Authore primæ Collectionis Decretalium *lib. 4. de Sponsa duorum c. 2.* tum ex B. Raymundo eodem *lib. 4. de Sponsa duorum c. 2.* volumea vero sub nomine *Brocardicorum*, quod etiam sub isto vocabulo invaluit.

§. X.

De Collectione Ivonis Episcopi Carnotensis.

220. **T**este Sieberto de Viris Illustribus c. 168. Ivo Carnotensis Episcopus, qui saculi XII. initio obiit, præter alia, *composuit etiam in signe volumen Canonum.* Duplex autem sub ejus nomine hodie existat Canonum Collectio: una que vulgo dicitur *Decretum D. Ivonis Episcopi Carnotensis*; cum tamen vetus titulus ab ipso Authore in prologo operis expressus esset: *Exceptiones Ecclesiasticarum Regularum.* Quem titulum multo convenientiorem esse moderno, nemo non videt. Altera Collectio inscribitur: *Panormia*, seu *Panomia Ivonis*, id est, *Summa*, sive *Compendium Legum*, aut *Regularum* in Decreto Ivonis contentarum; *Pan* enim græce, latine totum, aut *summa* significat, *nomos* vero græcis legem, *nomia* justitiam, & *norma* Latinis regularum sonat.

221. Dabantur Eruditi, an ipse, an aliquis alius Decretum ejusdem compendiano Panormiam conscripserit? Probabilius tamen est, Ivonem ipsum Panormiæ esse authorem, prout constat ex ejusdem Prologo eodem utriusque operi ab eo præfixo. Decretum Ivonis primum typis evulgavit Molinæus a. c. 1561. Post hunc Fronto 1647. Panormia vero primum impressa est cura Sebastiani Brand 1499. Altera editio prodit a. c. 1557. opera Melchioris à Vosmediano.

222. Fontes, è quibus opus suum hausit Ivo, indicat ipse in prologo utriusque operi præfixo. *Exceptiones Ecclesiasticarum Regularum*, inquit, *partim ex epistolis Romanorum Pontificum, partim ex gestis Conciliorum Catholicorum Episcoporum, partim ex institutionibus Catholicorum Regum nonnullas in unum corpus adunare curavi.* Ex quo habetur materia hujus Codicis, qui, teste Molinæo in præfatione ejusdem, parum vel nihil scientiæ Pontificiæ post Decretum Burchardi præstat, si duo excipias: Unum, quod contra hæresim Berengarii, suo tempore exortam, Ivo parte 2. decreti, & parte 2. Panormiæ, multas Conciliorum, Patrumque sententias referat ad confirmationem dogmatis Catholici de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia; quarum nulla apud Burchardum occurrit; sed eas postmodum ex Ivone Gratianus in suum decretum transtulit. Alterum, quod in Ivone, & non in Burchardo reperitur, est, conjunctio Juris Civilis cum Canonico. Ivo enim parte 15. sui decreti, & parte 5. Panormiæ c. 23. & sequentibus tractans de causis & negotiis Laicorum, multa adfert ex libris Juris Civilis; cum Burchardus ejusdem ne quidem meminisset, nisi quod semel iterumque Codicis Theodosiani testimonio usus fuerit; adeo ut Ivo primus erudatur, qui in Occidente Jus Civile cum Canonico conjunxit; quem secuti fuerunt Gratianus, alique posteriores Canonum, & Decretalium Collectores.

223. Hanc materiam decreti, seu potius ipsum decretum in 17. partes sive titulos distribuit Ivo; adeoque servat ordinem argumentorum, quem etiam servat in Panormia: at huic Viro, cæteroquin erudito, ex sui temporis misera conditione pauciter accidit, quod non ex fontibus, sed ex stagnis hauriendo, apocrypha in suam Collectionem intulerit; quamobrem etiam plurima, eaque gravissima venerandæ antiquitatis complectatur monumenta, cum delectu tamen sunt legenda.

224. Si quis Panormiam Ivonis cum Gratiani decreto contulerit, Gratianum ex hoc libro pleraque, & quidem eodem ordine, ut loquitur Ant. Aug. sumpsisse apparebit. Hinc, si fontes eorum, quæ apud Gratianum relata sunt, reperire desideras, frequenter, ni Ivonis opus consultas, frustra quæres. Cujus rei plurima exempla occurrunt Lectori, si Gratiani sententias sive canones post Correctionem Romanam attenderit; quas ex Ivone de promptas, & ad verbum sæpe descriptas deprehendet; ut non immerito gloriatus fuerit Joannes Molinæus, quod, adepto Ivonis opere, repurgando Gratiano, easque sententias ad fontes ipsos reducendis, summum fenterit subsidium.

§. XI.

De variis Collectionibus decretalium, factis quidem post Decretum Gratiani, sed Corpori Juris, quo hodie utimur, non illatis.

225. **Q**uinque decretalium Collectiones post compilationem Gratiani usque ad Collectionem decretalium Gregorii Papæ IX. prodierunt, quæ, sicut & hæ, citari solebant per voculam *extra*, eo quod collectæ essent ex iis, quæ extra Decretum Gratiani vagabantur. Primæ Author est Joannes Circa Præpositus Papiensis, quam ipse *Breviarium extra* sive *Extravagantium* appellat ex ratione mox data.

226. Materia hujus Collectionis, præter antiqua à Gratiano omnia monumenta, sunt RR. Pontificum epistolæ decretales & decreta, signanter Alexandri III. & decreta Concilii Lateran. III. & Turo-nensis III. Ordinem librorum & titulorum eundem pene servat, quem Gregoriana.

227. Secundæ, quæ 12. circiter annis primam insecta est, Author est Joannes Gallensis, sive Vallensis; constatque ex eorundem Pontificum decretis in prima omisis, quibus quædam Cælestini III. decretales adjunxit: antiquiora quoque nonnulla à Gratiano prætermissa immisit. Habet eundem cum prima ordinem, nisi quod illa multo prolixior sit, quam hæc.

228. Tertiam Collectionem (rejecta illa, quam Bernardus Compstellanus ex registris Innocentii III. usque ad a. 13. sui Pontificatus concinnavit) autoritate ejusdem Summi Pontificis fecit Magister Petrus Beneventanus ejusdem Notarius. Hæc Collectio, notante Augustino, prima fuit, quæ auctoritate publica facta est. Materiam ejusdem constituunt solæ epistolæ Innocentii III. ex ejusdem registris desloratæ; atque eundem cum præcedentibus ordinem servat.

229. Elapso quinquennio ab edita tertia Collectione, quarta prodit; eidem concinnandæ occasione præbuit Concilium Lateranense Generale IV. in quo idem Pontifex Innocentius III. capita 71. ediderat; sed & illo quinquenni spatio post tertiam Collectionem aliquot edidit Constitutiones; atque ita duplex editio existit, ait Ant. Aug. in proœmio de antiquis Collectionibus: *Altera Canones ejusdem Concilii tantum continet, alia alias quoque Constitutiones; monetque, in hac Collectione posteriore, quam solum edidit, permulta esse, quæ in superioribus Collectionibus duriora aut obscuriora videbantur, mutata rectius, & maxima cum prudentia atque equitate moderata.* Idem rursus hujus Collectionis atque

atque præcedentium librorum & titulorum ordo.

230. Honorius III. immediatus Successor Innocentii III. in multis eum imitatus, epistolas edidit decretales 10. libris comprehensas, juxta numerum 10. annorum, quibus Ecclesiam rexit; quemadmodum Innocentius III. juxta 16. annos sui Pontificatus in totidem libros suas epistolas digesserat.

231. Collectionem hanc, ordine quintam, ad exemplum Antecessoris sui, servato simili librorum ac titulorum ordine, è suis epistolis confici jussit Honorius; ac per Magistrum Tancredum Bononiensem Archidiaconum, quemadmodum Innocentius, solemnitè publicari fecit, atque publicatam ab omnibus recipi tam in judiciis, quam in Scholis; prout constat ex ep. ejusdem Tancredi, quæ conficit primum capitulum hujus Collectionis.

232. Omnes has Collectiones edidit, notique illustravit Ant. Aug. præter ultimam, cujus, etsi jam pridem Canonum Interpretes meminere exemplar non fuisse nactum verosimile est. Primus itaque eam ex vetulis MSS. Bibliothecæ Albiensis a. c. 1645. evulgavit, doctissimique scholius illustravit Innocentius Cironius.

233. Præcipua harum Decretalium utilitas est, quod subsidium grande adferret recto intellectui Decretalium Gregorii IX. quæ earundem compendium quoddam sunt. Quapropter & Correctores Romani operæ pretium duxerunt, plurimis capitulis inibi occurrentibus, multa, & varia ex his veteribus Decretalibus addere, quæ ibi notantur per *Ly & infra*, atque distincto characterè post ipsa capitula ponuntur.

CAPUT V.

De Collectionibus in Corpore Juris, quo hodie utimur, extantibus.

234. **C**orpus Juris Canonici, quo hodie utimur, sex partes conti-

net, videlicet: Decretum Gratiani, quinque libros Decretalium Gregorii Papæ IX., Sextum Decretalium, Clementinas, Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes communes. De quibus jam ordine.

§. I.

De Decreto Gratiani.

235. **A**uctor hujus, vulgo dicti *Decreti*, est Gratianus Monachus Monasterii SS. Felicis & Naboris Bononiensis, Ordinis S. Benedicti. Communis est opinio, illum hoc opus adornasse circa annum 1151. In plerisque vetustis exemplaribus, inveniunt Correctores Romani in præfatione, hæc tanquam inscriptio rubris literis posita est: *Concordia discordantium Canonum. Decretorum collectanea Demochares, & decretorum canonicorum collectanea* Contius in suis editionibus rectius illud appellarunt, quam *decretum*; cum, prout loquitur Ant. Aug. *decretorum collectionem esse hanc, non unius decreti explanationem, nemo negaverit.* Interim vox hæc *Decreti* in Scholis adeo invaluit, ut potius tanquam res modica à Prætere non sit curanda, quam gratis impugnanda. Gratianus illud vocavit *Concordiam discordantium Canonum*; quoniam non tantum decretis colligendis, ut Iliodorus, Burchardus, Ivo, alique antiqui Canonum Collectores fecerant, operam dedit; sed eo potissimum incubuit, ut, certis quæstionibus propositis, quid in utramque partem ex Canonibus, qui inter se nonnunquam pugnare videbantur, inveniunt Romani Correctores in præfatione, dici posset, ipse & afferret, & explicaret; omniumque eorum varietatem, quæ speciem dissensionis habebant, ad concordiam revocaret. Titulus ergo ad intentum Auctoris sic sonat: *Concordantia ad speciem discordantium Canonum.*

236. Hoc decretum è tribus potissimum tanquam materia consultatum est; videlicet

desicet I. ex Conciliorum, Pontificumque decretis, Patrum, aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum sententiis, atque Regum ac Imperatorum Sanctionibus. II. Ex *paleis* seu illis, quæ non simpliciter, quemadmodum priora, nomine *Canonis* exprimuntur. III. Ex propriis ipsis Gratiani verbis, quibus casus, aut quæstionis positionem, vel suam circa quæstionem propositam opinionem, aut pro contraria opinione objectiones & argumenta expressit. Quid nomine *palea* significetur, non convenit inter Eruditos; verosimilius est, *Canones* hæc inscriptione insignitos, esse quoddam additiones, non eodem tempore factas, quæ prima Gratiani Collectio prodit; sed postea margini adscriptas, quæ deinceps vel Librariorum, vel Scriptorum incuria, aut ignorantia in textum irrepserunt: sunt quædam ex illis tam venerandæ, ut vile hoc nomen proflus abhorreant.

237. Opus suum Gratianus in tres principales partes divisit. *Prima* continet distinctiones 101. seu capita, aut sectiones, quibus materiam distinctam proponit, & subjectis Canonibus exponit. *Secunda* continet 36. causas; & singulæ causæ suas quæstiones. Porro causæ sunt quasi totidem hypotheses seu casus positiones; quarum occasione varias quæstiones format, & proponit, quas frequenter in utramque partem allegatis Canonibus discutit, suam deinde sententiam depromens. *Tertia*, quæ hodie ab aliquibus, propter tractatum de Penitentia, qui secundæ partis causæ 33. post q. secundam interponitur, vocatur quarta, continet tractatum de Consecratione, in quinque distinctiones divisum.

238. Quid in singulis distinctionibus, causis, & quæstionibus tractet Gratianus summarie hic exponerem, nisi in ipso decreti initio dilucide extaret sub hoc titulo: *Decretum abbreviatum, singillatim cuncta attingens.* Hoc illi pro Juris Candidatorum sublevamine annotare placet: quod in 1. parte decreti distinctiones divi-

Tom. I.

dantur in canones, & canones, si longiores sint, in §§. & sic citari solent: *Dist. vel d. 16. c. Placuit 4. vel c. Placuit vel c. 4. vel c. Placuit dist. 16.* Lege: *Prima* parte decreti, distinctione, quæ inter centum & unam est ordine 16. canone, qui incipit verbo *placuit*; & est ordine quartus. In secunda parte causæ dividuntur in quæstiones, hæc in canones, & hi, si longiores sunt, in §§. & sic citantur: *Causa 1. q. 2. c. Nullus. vel simpliciter 1. q. 2. c. Nullus 1. aut simpliciter, Nullus, aut c. 2.* Lege: *Causa prima*, quæstione secunda, canone, qui incipit vocabulo *nullus*, & est ordine secundus. In eadem parte, ut mox notatum est, quæstio 3. causæ trigesima tertie dividitur in septem distinctiones, quæ continent tractatum de Penitentia; distinctiones dividuntur in canones, & hi, si longiores sint, in §§. atque citantur sicut distinctiones primæ partis, cum addito tamen *ly de penitentia*; v. g. *Dist. 1. de penitent. c. Petrus 1.* Sicque etiam dividitur, & citatur quarta pars decreti, cum addito *ly de consecratione* Ut *dist. 4. de consecr. c. 4. Non potest, aut c. 4. d. 4. de consec. aut de consec. dist. 4. c. Non potest.* Seu qui incipit *Non potest*, & est ordine 4.

239. Ordinem Decreti non adeo exactum passim notant Eruditi; sed id præsertim vitii quantum ad illum Gratiano exponunt Eruditi, quod sæpe levissima data occasione solum ordinis abruptar, & ad aliquid illuc non pertinens translat. Illæsert illius exemplum accipe. In parte 3. decreti à causa 27. cæperat agere de Matrimonio, cui 10. causas propter materiam utilitatem, & vastitatem destinaverat: causa vero 33. hunc casum proponit: *Quidam vir maleficiis impeditus uxori debitum reddere non potuit; alius interim eam clanculo corripuit: à viro suo separata, corruptori suo publice nubuit; crimen quod admiserat, corde tantum Deo confitetur.* Occasione horum finalium verborum format hanc quæstionem: *Si sola confessione*

cor-

cordis crimen possit deleri? Et hæc occasione arrepta inter secundam, & quartam quæstionem propositâ de Matrimonio argumenti, totum tractatum de Penitentia late discutit, qui insuper nulla facta distinctionum partitione in antiquioribus Gratiani exemplaribus uno contextu legabatur; ut post Antonium Contium movent Correctores RR. Quo absoluto, pergit sidenter in interrupto filo, & quæstionem IV. iterum format de Matrimonio.

240. Errata Gratiani in hoc decreto Ant. Aug. lib. 1. dial. 1. de emendatione Gratiani ad hæc præcipue capita reducit: 1. Quod sæpe erratum sit in nominibus hominum, Urbium, Provinciærum, Conciliorum, & aliarum rerum. 2. Quod sæpe falsæ inscriptiones Canonum occurrant, quarum aliquas supra, agendo de Codice Martini Braccarenensis, & Capitulis Hadriani, notavimus. 3. Quod multa Patribus, v. g. Ambrosio, Augustino, &c. tribuantur, quæ aut nusquam existant, aut aliena sunt. 4. Quod sæpe recte inscripta non recte referantur; sæpe enim, inquit, contrarias sententias referri fecimus, sæpe valde præcisas. 5. Quod ea, quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferantur, quasi sint aliorum Scriptorum, ac sæpe aliud græce, aliud latine significent.

241. Postea eorundem fontes indicat, quorum I. est: Quod Gratianus ex sæculi sui more, non ipsa Concilia, aut Regesta Pontificum, neque alia Sanctorum Patrum scripta ob librorum penuriam (ut ajunt Correctores RR.) revolverit, & consuluerit; sed quæ in variis Canonum aut Scriptorum compilationibus reperit, sine ullo discretionis examine in suam Collectionem transtulerit: atque ita, quidquid ab illis ex ignorantia, vel incuria, aut interdum ex proposito erratum fuit, in suum Codicem iniecit. II. Quod, cum ea ætate nondum nota esset ars Typographica, Virorum eruditorum scripta Axiomatica opera communicari, ac divul-

gari deberent. Horum vero imperitia, & oscitantia, aut nonnunquam audacia, & præsumptione, plurima sæpe mutabatur, aut mutilabatur, aliaque ratione corrumpebantur. Hinc manuscriptorum Codicum frequens varietas. III. Quia nonnunquam, vel manuscriptorum desuit copia, vel non vacavit, aut lubuit manuscriptis inter se conferre, qua collatione errores deprehendi potuissent: unde factum est, ut ex uno manuscripto viciato, errores ulterius fuerint propagati, atque etiam in Gratiani Decretum irrepererint. In quo proinde multa à parum æquis hominibus exagitatantur (verba sunt Correctorum RR. in præf.), nonnulla p̄i etiam, & verecundi interdum desiderant. Videlicet posterioribus his sæculis.

242. Nam (quod fane mirandum est) hoc decretum (cujus Author omnino nec diligentissimus, nec accuratissimus, nec emunctissimè naris ab omnibus Eruditis non solum, sed etiam ex ipso opere defectuoso notatur, & quantum possibile est, ex mox dictis, à cordatis pie excusatur) præ omnibus reliquis præcedentibus Canonum Collectionibus cum statim, ac subsequenter sæculis usque ad XVI. habuit plausum, ac successum, ut, præcedentibus omnibus tenebris obvolutis, in omnium manibus versaretur, multorum Doctorum illustraretur lucubrationibus, in judiciis omnibus adhiberetur, atque tum à Theologis, tum à Canonistis in pretio haberetur, ac in Scholis explicaretur. Ut habet Anton. Aug. lib. 1. dial. 1. de emendat. Gratiani.

243. Et sane de Juristis per se patet, cum eorum Commentarii vix ex alio, quam ex Gratiani decreto, Canones exhibeant. Theologi, præsertim antiquiores, auctoritates vix alias, quam ex Gratiano petitas, dum Canones in subsidium adhibent, assumunt. Ac demum Collectiones Decretalium Gratiano posteriores ejus Collectionem tanquam Canonum Corpus respexerunt, atque illa, quæ inibi inveniebantur.

bantur, per vocem *Supra*, quæ vero non, per vocem *Extra* designantur: ut constat ex notis Antonii Augustini ad Collectiones Decretalium §. præcedenti allatas. Omnes autem tum Jurisperitos, tum Theologos, tum Collectores illorum sæculorum nimium tribuisse auctoritati hujus decreti, minusque fuisse sollicitos, num ea, quæ ex illo retulerunt, cum suis originalibus responderent; constat vel ex eo, quod in illis passim occurrant ab ipsis ex Gratiano relata, nec virga censoria notata; quæ tamen à Correctoribus Romanis sæculo XVI. sunt emendata, ut ab exemplis bene multis abtineamus.

244. Duo autem potissimum opus istud privati ceteroquin Monachi commendarunt, atque præ aliis Collectionibus complectendum illius ætatis Literatis persuaserunt. Primum est: Methodus tractandi, & materia, quæ inibi tractatur; cum enim sub idem tempus, quo decretum prodit, exoriri cepisset disciplina tractandi, quam vulgo dicimus Scholasticam, quæ in argumentationibus, variisque quæstionibus in utramque partem discutendis non parum occupatur: mire placuit Doctoribus illius temporis Methodus Gratiani N. 137. indicata, utpote scholasticum tractandi modum multum redolens. Accessit, quod, quantum ad materiam, Gratianus præ reliquis Canonum Collectoribus Jure Civili Romanorum utatur, quod tum primum Bononiæ doceri & exponi cepit; quo titulo Academiæ illius Doctoribus, præcipue Juris Consultis Gratiani Collectio præ reliquis placuit.

245. Alterum, quod ad diffundendam longe lateque hujus operis famam juvit, erat Academiæ Bononiensis tunc nomen celeberrimum; ad quam cum ex toto pene orbe Christiano Juris Candidati confluerent, atque in ea nihil præter decretum Gratiani prælegi audirent, illudque ut unicuique Sacri Juris Codicem consuli, magnam illius ætimationem naturaliter conceperunt, atque reduces in patriam aliis etiam multarunt.

246. At sæculo XVI. eum ab hæreticis pleraque Ecclesiæ Catholica antiqua monumenta allatrari cepissent, Catholici Doctores ad studium criticæ excitiâ sunt cunctique, ut loquuntur Correctores RR. L. supra n. 141. cit. multa in hoc decreto à parum æquis hominibus exagitantur, nonnulla p̄i etiam & verecundi interdum desiderarent; virga censoria operi, ad quod, tanquam ad instructissimum amentarium passim & Theologi & Canonistæ recursum habebant, à Viris celeberrimis adhibita est: ut ejus ope à falsis inscriptionibus & mendis purgaretur, apocrypha à veris monumentis decernerentur, atque ita in meliorem ordinem formamque reduceretur.

247. Et quidem ante Correctionem Romanam Antonius Contius, & Antonius Demochares Capita sive Canones in Decreto Gratiani numeris distincterunt; cum hoc antea in illo à Lectoribus cum magno tadio desideraretur; ac præterea plurimas addiderunt notas, quibus & veras Canonum inscriptiones, atque apocrypha nonnunquam feliciter satis indicarent. At eorum opera ad illud plene repurgandum minime suffecit.

248. Hinc Romani Pontifices, rei amplitudinem considerantes, unaque expendentem, quam indecorum esset, ut volumem, quod majorem Corporis Juris Canonici partem conficit, adeo esset mendosum, seu, ut loquitur Gregor. XIII. in Bulla Gratiano præfixa, mendis & testimoniis depravationibus plenissimum: ex istem Pius IV. & Pius V. selectis quibusdam Viris illius emendationem, atque correctionem commiserunt; quæ demum sub Gregorio XIII. qui primum Bononiæ Jus Canonicum fuerat interpretatus, ac postmodum à Pio IV. factus Cardinalis, pro eadem emendatione fuerat delectus, consummata fuit a. c. 1580. Quæ diligentia illud factum est, inquit Correctores hujus decreti in præfatione sæpe laudata, ut, cum jam pro magna parte sum-

unicuique tributum sit, — vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, certa vero pro incertis suspecta habere possit. Et hinc est, quod Gregorius XIII. in Bulla in commendationem decreti Gratiani jam emendati edita, iungit omnibus Christi Fidelibus, ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut immineatur.

249. Ex quibus autoritatibus eruitur primo, Correctores Romanos, etiam propria confidentia non asseruerint, se in opere vastæ adeo molis, & humanam pene effugientis diligentiam (qualis fuit Gratiani eidem injuncta ab fontes manuscriptos, atque ex Bibliothecis conquisitos, emendatio) nihil humani passos fuisse; cum dicunt in eo magna ex parte suum unicuique tributum fuisse; nihilominus asservere, post factam ab illis correctionem vix quemquam impolperum erratum. Secundo, Gregor. XIII. etiam sanctissime cavevit, ne obvis quisque pro libidine sua decretum Gratiani tanta maturitate, diligentiaque emendatum, recemendare, ac typis subicere præsumat; illam tamen nunquam vetuisse, ne Viri eruditi posthac notarent, quæ diligentiam Correctorum Romanorum, & suam fortassis effugerunt, atque rationibus stabilita, iudicio Sedis Apostolicæ subicerent, ut loquitur in summi materia de Lectionibus II. nocturni Breviarii Romani, sæpius licet virga censoria sultratis, quam Decretum Gratiani, SS. nollet Dominus Benedictus XIV. feliciter regnans, in opere supra tit. I. N. 209. cit. pares enim mihi videntur duo hi Summi Præsules, nunquam satis laudandi, tam in deperitione veritatis, quam in hoc, ne simplex, & recta Christi Sponsa, quæ veritatis fundamentum, & columna est, Pseudepigraphis, quibus nunquam eguit, nunquam egebit, oneretur magis, quam honoretur.

250. Hinc factum est, ut ex Viris post Decreti Romani correctionem labo-

riosisimis, & eruditissimis, illud emendare denuo, & sic recemendatum typis vulgare quidem nullus præsumperit; plura tamen in eo notariæ, quæ Correctorum Romanorum diligentiam, licet maximam, effugisse videntur, quæque Eruditis partim omnibus, partim plurimis, sunt vel certo, vel probabilissime apocrypha; inter quæ primo loco veniunt famosa illæ veterum RR. Pontificum à Clemente usque ad Siricium Papam epistolæ, quas cap. præced. §. V. dissertatione speciali discussimus: quæ licet sæpius occurrant in decreto Gratiani, à Correctoribus tamen non sunt notatæ. Præterea Bellarminus de *Scriptoribus Eccl. in Gratiano* apud me pag. 233. sex notat loca ex iis Patrum monumentis desumpta, quæ partim ipso, partim Baronio iudice sunt supposititia; ea tamen intacta reliquerunt laudati Correctores. Præterea hoc sæculo prodierunt plurimorum Patrum castigatæ editiones, in quibus tanquam supposititia rejecta fuere multa, quorum fragmenta sub nomine illorum Patrum Gratianus retulerat, & Correctores Romani pro indubitatis habuere. Quæ hic veritatis, & Juris Candidatorum utilitatis gratia adnotare volui.

QUESTIO SCHOLASTICA.

An Decretum Gratiani Legali autoritate polleat?

251. Decretum Gratiani nullam publicam autoritatem à suo Authore posse mutare, constat ex eo, quod & homo privatus fuerit, & nulla publica autoritate illud compilaverit. An autem Decretum hoc ante sui correctionem, vel saltem post illam ex aliis titulis vim legalem obtinereit, jam videndum est.



PRO-

PROPOSITIO.

Decretum Gratiani nec ante, nec post Correctionem Romanam vim Codicis Legis obtinet.

252. **L.** Arianns ff. de obligat. & action. habetur: Ubi de obligando queritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem, ad negandum: atqui magnam habemus occasionem ad negandum, quod decretum Gratiani vim obligandi legaliter totum orbem Christianum non habeat: ergo negandum est. P. m. autoritate Rotæ Romanæ apud Pennam *decisione* 480. ubi se contra autoritatem Decreti Gratiani tuetur ex eo, quod ejus Compilator nec legis condendæ autoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tanquam authenticus, & legalis approbatus fuerit. Addo ego, nec consuetudine vim legalem eundem librum obtinuisse: id quod ex solutione argumentorum patebit.

Opposita expenduntur.

253. **O**bjicies I. cum Molfesio in Summa tom. I. tr. 9. c. 5. N. 73. Gelasius Papa II. approbavit hoc decretum. Item Eugenius III. teste Trithemio, approbavit omnia contenta in decreto: ergo jam ante Correctionem Romanam habuit legalem autoritatem.

Resp. I. Quantum ad testimonium Gelasii Molfesium crasse errare, si tamen ita habet, prout refertur ut Reiffenstuel in *proemio Juris Canonici* N. 64. hic enim Gelasius obiit a. c. 1119. & decretum Gratiani perfectum est ab ipso vel A. 1152. vel 1152. nullus autem in Catalogo RR. Pontificum post hunc alius reperitur Gelasius: post mortem ergo suam decretum approbare debuit.

Resp. II. Ad autoritatem Trithemii, ipsum solum esse, qui refert Eugenium III.

sub quo vixit Gratianus, hoc decretum approbasse; cujus tamen testimonium hodie ab omnibus rejicitur ut suspectissimum, cum nec S. Antoninus, in similibus antotandis diligentissimus, nec Platina, Scriptor vitarum RR. Pontificum accuratissimus, similis approbationis cum ullo alio Authore coevo vel recentiori meminerint, nec ulli veterum Gratiani exemplarium MSS. præfixa inventa fuerit.

254. **O**bj. II. cum Cardinali Thufedo *lit. D. concl. 110. N. 2. & 11.* ubi ait: Hodie temporibus nostris fuit approbatum decretum, & contenta in eo sunt Leges Canonice effectæ; ut in Bulla sel. rec. Greg. XIII. ergo saltem post Correctionem Romanam, quæ hac Bulla præmittitur est, Decretum Gratiani autoritatem Codicis legalis obtinet.

Resp. In illa Bulla non fuisse approbatum decretum, sed emendationem ejusdem dimittaxit; dicit enim ibi Pontifex: *Ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur*; & ne putarem retinenda esse per modum Canonum, universaliter & indiscriminatim obligantium, caute subnectit: *Ita ut nihil addatur, mutetur, aut immineatur*: privata scilicet autoritate, ut supra notavimus.

255. **O**bj. III. Cum Maranta. Decretum & legitur publice in Scholis, & adhibetur in Judiciis, & usu Populi communiter est approbatum: ergo vim Codicis Legalis habet.

Resp. ad I. Ante Gratiani Decretum Panormia Ivoanis usus erat tum in Scholis, tum in Judiciis, & tamen nemo eidem vim Codicis Legalis adscribit. Tam ergo Schola, quam Judices, ac Populus, sine decendo, sive iudicando, sive usu eam relatis in decreto Gratiani autoritatibus vim obligandi tribuerunt, quam habebant in fontibus, ex quibus illas Gratianus excerptis cum enim decretum nunquam fuerit autoritate Pontificia confirmatum, aliter ac dicto modo se contentis in illo obligare

DE

per consuetudinem non intendebant; consuetudo autem non operatur ultra intentionem inducentium illam. Secus est discernendum (ut replicam præveniamus) de Decretalibus, & Pandectis Civilibus, quæ licet à privatis compilatæ fuerint; quia tamen à supremis respective Potestatibus approbatæ fuerunt, eisdem sit quantum ad Decretales, an legaliter pro toto mundo sint promulgatæ; tamen usi & consuetudine vim Legalis Codicis obtinuerunt.

256. Relata ergo à Gratiano in suo decreto (id, quod per modum corollarii inferimus) majorem auctoritatem non habent in illo ea, quam sortiuntur ex fontibus, unde desumpta sunt. Et ita quidem decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium universaliter obligant, ubi ipsidem per legitimam consuetudinem, vel per Constitutiones posteriores non est derogatum. Secus tamen dicendum est de Canonibus Conciliorum Particularium (nisi hi à Romano Pontifice, vel à Synodo Generali sint approbati), item de sententiis PP. de Legibus Civilibus, & magis de privatis Gratiani opinionibus, quæ inibi referuntur; hæc enim omnia mensura auctoritatis suorum fontium metienda sunt, ac inferius notanda, quæ supra N. 250. retulimus.

257. Hoc unum hic adhuc notandum est, à Gratiano relata non mox ut apocrypha, aut falsa rejicienda esse; eo quod hodie sub nomine Synodi, aut Authoris, è quo Gratianus illa recitat, non reperiantur; cum certum sit, multa vera esse, quæ temporum vetustas nobis subtraxit, aut hæcenus elaviv. Quidam enim quædam Gratianus suo tempore vidisse potuit, quæ vel temporum injuria perierunt, vel hæcenus sub pulveribus Bibliothecarum delitescunt? Sobrie ergo in tanto conspectu auctoritatum circa decretum Gratiani correctum agendum erit Candidato Juris Ecclesiastici: ita nempe, ut auctoritati Correctorum, & tantum Pontificis, qualis fuit Gregorius XIII. reverentissime plurimum

deferat; at veritati repertæ, aut fortassis reperendæ palmam demum conferat.

§. II.

De Decretalibus Gregorii Papæ IX.

258. **Q**uamvis post Decretum Gratiani, tum privatorum opera, tum Pontificum Romanorum auctoritate Decretales eorumdem Pontificum, eorumque in Conciliis, sive extra editæ Constitutiones variis temporibus in unum collectæ fuerint; ita ut quinque ejusmodi hoc temporis intervallo, videlicet, ab editione Decreti Gratiani usque ad Greg. IX. tempora prodierint, ut capite præced. §. XI. monstratum est: omnesque, tametsi duæ priores publica auctoritate non essent collectæ, aut probatæ, in Scholis fuerint prælectæ, atque Doctorum commentariis illustratæ; nihilominus in Corpus Juris, quo hodie utimur, non sunt relatæ; sed in eorum locum præfens Collectio, quæ est quoddam illorum veluti compendium, successit, atque in eodem Corpore Canonico secundum sibi locum vendicat.

259. Occasionem motivam, atque Authorem hujus Collectionis indicat ipse Gregorius IX. in epistola confirmatoria eidem præfixa, quæ incipit: *Sane diversas Constitutiones & decretales Epistolas Prædecessorum nostrorum in diversa dispersas volumina, quorum aliquæ propter nimiam similitudinem, & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter suam prolixitatem, confusione inducere videbantur: aliquæ vero vagabantur extra volumina supradicta, quæ tanquam incertæ frequenter in iudiciis vacillabant: ad communem, & maxime Studentium, utilitatem, per prædictum Filium F. Raymundum Capellanum, & Penitentiarium nostrum, illas in unum volumen, refectis superfluis, providimus redigendas: adjicientes Constitutiones nostras,*

& decretales epistolas, per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur. Quo loco etiam fontes, è quibus laudata Collectio à S. Raymundo Ordinis Prædicatorum, ipso mandante, collecta est, indicat.

260. Quorum primus sunt diversæ Pontificum Epistolæ decretales, & Constitutiones, quæ in diversa volumina, seu in prænominate quinque Collectiones jam tum erant dispersæ: desumpta ergo magna ex parte est hæc Collectio ex quinque præcedentibus Decretalium Collectionibus; cum autem in illis non tantum Pontificum Constitutiones, & decretales epistolæ continerentur, sed insuper nonnulla ex Scriptura Sacra, antiquis Conciliis, & Sanctis Patribus, etiam in hac Gregoriana plurima sub eorum nominibus reperuntur. Secundus sunt, ut dicitur in eadem epistola Decretalibus præfixa, Epistolæ decretales, & Constitutiones Pontificum Prædecessorum Gregorii, quæ extra ipsas veteres Decretalium Collectiones vagabantur; quæ ob id tanquam incertæ in iudiciis frequenter vacillabant. Tertius denique sunt Decretales & Constitutiones variorum ipsius Gregorii, ut eadem ep. testatur. Circa quas ex Cujacio Juris Consulto ad cap. ultimum Extra de re judicata, notandum venit, Gregorium IX. ex fine in cit. ep. indicato, ut nempe nonnulla ex suis decretalibus, quæ in prioribus erant dubia, declararentur, ex Jure Civili ultro, non addictum Consultoribus ullis vel Litigatoribus, pleraque sumpisse, & inseruisse: Quo fit, ut in ejus Constitutionibus plerumque nemo inscribatur, ad quem Constitutiones divergantur. Veram esse hæc Cujacii reflexionem, patebit eas insipienti. Et hæc materia hujus Collectionis.

261. Quantum ad formam, sive ordinem hujus Collectionis, ea dividitur in V. libros, libri in titulos, hi in capitula, hæc, si longiora sunt, in §§. & isti interdum in vericujos. In illis vero concinnandis S.

Raymundus secutus est methodum, quam præcedentes Collectores Decretalium servasse deprehendit, id est, Codicis Justiniani, qui tunc elevari cepit. Nam sicut ille Codex à Titulo de Summa Trinitate initium sumit, ita & hæc Collectio; quæ posteaquam tribus sequentibus libri primi titulis, secundo videl. tertio, & quarto, partes & species Juris Canonici tum scripti tum non scripti declaravit, eodem libro I. agit de Judiciis Ecclesiasticis, & præparatoriis ad judicia, lib. II. de judiciis, lib. III. de inferioribus Clericis, rebusque eorum, atque Ecclesiarum; lib. IV. de rebus quidem Laicis propriis, sed sacris, adeoque ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, id est, de Sponsalibus & Matrimonio; & lib. V. de accusationibus, de criminibus, ac de diversis poenis pro ipsis infligendis. Qui libri hoc noto versiculo indicantur:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Atque in iis contenta sic citari solent: *C. Firmiter, vel c. Firmiter 1. vel simpliciter c. 1. de Summa Trinitate, vel c. Firmiter extra, vel simpliciter per literam X. de Summa Trinitate; Lege: Capitulo Firmiter, quod est primum sub titulo de Summa Trinitate, vel extra decretum Gratiani cap. Firmiter, &c. Libri in his Decretalibus nunquam indicantur, sed beneficio indicis aut usus inveniendi sunt.*

§. III.

De reliquis Corporis Juris Canonici partibus, seu de Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantium Joannis XXII. & Communibus.

262. **S**UB finem sæculi XIII. Bonifacius VIII. Anno IV. sui Pontificatus novam Decretalium Collectionem (quæ est tertia pars Juris Canonici hodierni) fieri mandavit, & suo nomine publicavit. Ejus

Ejus concinnanda provinciam Guilielmo Archiepiscopo Ebrudunensi, Berengario Episcopo Bitternensi, & Richardo de Senis S. R. E. Vice-Cancellario J. U. D. contulit; uti exhibet ejus epistola eidem Collectioni præfixa.

263. Ex ead. ep. pariter patet, scriptum Bonifacii fuisse, Decretales Pontificum, quæ extra Collectionem Gregorii IX. vagabantur, & quarum files in iudiciis vacillabat, quæstionesque frequentes excitabant, in unum volumen redigere, eaque redactione discernere, quæ recipiendæ, & quæ repudiandæ essent.

264. Materia quoque, è qua Collectionem feri voluit, non obscure innotuit: nimirum, hæc suam Collectionem esse compilatam ex ipsius Gregorii IX. Decretalibus, quas ipse suæ Collectioni non includerat, & quæ ante editam Bonifacii compilationem dicebantur *Extravagantes Gregorii IX.* & interdum titulis Decretalium adangebantur, & à Doctõribus una cum reliquis capitulis Decretalium illorum exponebantur. Quibus adjunxit aliorum Pontificum, qui ipsum inter & Gregorium intercesserunt, decretales epistolas; potissimum autem occurrunt Innocentii IV. Greg. X. Alex. IV. Nicolai IV. & ipsius Bonifacii VIII. frequentissima; ac insuper Constitutiones duorum Conciliorum Lugdunensium, quorum unam sub Innocent. IV. A. 1245, alteram sub Greg. X. A. 1292, celebratum est.

265. Hanc Collectionem voluit esse quasi appendicem, sive supplementum Decretalium Gregorii IX. quæ cum quinque libris constarent, voluit suam Collectionem vocari *Sextus Decretalium*; tamen quinque libros aque ac Collectio Gregorii contineat, eandemque methodum, quoad materiæ divisionem in libros, & titulos, quemadmodum illa, servet, ex qua proinde capitula sicut ibi citantur, addita particula, in *Sexto*.

266. Post *Sextum Decretalium* in Corpore Juris Canonici quartum sibi lo-

cum vindicat Collectio, quæ vulgo *Clementine*, sive *Liber Clementinarum* dicitur. Hanc Clemens V. qui sub initium sæculi XIV. electus fuit Pontifex, & primus Avenione in Gallia Cathedram Petri collocavit, partim ex Canonibus Concilii Viennensis, cui ipse præfedit, partim ex propriis Constitutionibus confici curaverat: at morte præventus non publicavit, uti in epistola huic Collectioni præfixa monet ejus immediatus Successor Joannes XXII. qui suo nomine eam publicavit. Ex Gloffa autem, sive Joanne Andrea ad illa verba præfationis, *De cætero*, patet, quod licet omnia capitula legantur in hac Collectione cum hac inscriptione: *Clemens V. in Concilio Viennensi*; nihilominus hæc tantum omnia, sed forte admodum pauca in hoc Concilio fuerint edita, saltem eo modo, & quæ ante editam in Jure Canonico referuntur. Constat rursus hæc Collectio quinque libris, eisque in titulos divisus, servata methodo præcedentium Decretalium Collectionum; atque citatur sicut Decretales Gregorii IX. addita voce: *In Clementinis*, vel *Clementine*, vel simpliciter omisso *ly Capitulo, Clementina*; v. g. *Clementina Sicut de appellatione*, vel addito numero, v. g. *Clementina 1. de appellatione*.

267. Idem Joannes XXII. spatio 18. annorum, quibus Pontificatum gessit, varias Decretales evulgavit, è quibus 20. in unum collectæ fuere: quo auctore? nescitur; vocanturque simpliciter *Extravagantes Joannis XXII.* eo quod nullæ alterius Pontificis Decretales, aut Constitutiones admisceantur; efficiuntque quintam partem modernæ Juris Canonici. Collectio hæc ob paucitatem decretalium in libros non dividitur; sed tamen ipse Decretales, sive Extravagantes secundum ordinem præcedentium Collectionum disponuntur, & 14. titulos componunt. Atque ad differentiam Extravagantium communium sub nomine Joann. XXII. citari solent: v. g. *Extravagan. vel Extra. vel Ex. vel X. ad*

Con-

Conditorem 3. Joann. 22. de V. S. Lege: Extravagante Joannis XXII. capitulo tertio, quod incipit, *Ad conditorem*, sub titulo *de verborum significatione*.

268. Plures ejusdem Pontificis decretales postmodum in unum volumen cum aliorum nonnullorum Pontificum Constitutionibus collectæ sunt; quæ Collectio nomine *Extravagantium communium insignitur*, constituitque sextam, & ultimam Juris Canonici, quo hodie utimur, partem. Cum vero inter illius Collectionis decretales quadam etiam reperiantur sub nomine Xisti IV. qui in Pontificatu sedit ab An. 1471. usque ad An. 1484. necesse est, ut nonnisi circa hoc tempus hæc Collectio prodierit. Est vero eadem librorum, ac titulorum methodo disposita, qua præcedentes, nisi quod libro IV. quo in aliis de Matrimonio agitur, careat.

269. Quo auctore hæc atque præcedens Collectio facta sit, non constat. De eo inter omnes convenit, autoritate publica neutram inchoatam, aut expresse probatam esse: ideoque multo tempore, tanquam nullius, aut exiguæ autoritatis habitas fuisse: atque tanquam *extra Corpus Canonicum vagantes*, dictas esse *Extravagantes*; quod nomen ipsis adhæsit etiam postquam Corpori Canonico, quo auctore nescitur, adjunctæ fuerunt. Citari solent simpliciter sub nomine *Extravagantium*, vel addito *ly inter communes*, vel in *communibus*.

QUÆSTIO SCHOLASTICA.

An Decretales Gregorii IX. & reliquæ partes Corporis Juris Canonici autoritate legali polleant?

270. **C**ollectionem Decretalium Gregorii IX. Sextum Decretalium, & Clementinas autoritatem legalem pro toto orbe Christiano obtinere manifestum est ex Gregorii IX. Bonifacii VIII. &

Joannis XXII. epistolis, his Collectionibus præfixis; in his liquidum expresse præcipitur, ut earum usus sit in *Judiciis & Scholis*; Papa autem habet à Deo potestatem leges universalem Ecclesiam obligantes condendi.

PROPOSITIO.

Non tantum Decretales Gregorii IX. Sextus, & Clementine; verum etiam Extravagantes Joannis XXII. & Communes autoritate legali polleant.

271. **R**atio pro prioribus jam est assignata; & quantum ad Extravagantes probatur. Quantumvis nesciatur has Extravagantes, aut publica autoritate collectas, aut simili autoritate veteris Juris Canonici partibus fuisse adjectas; sunt tamen hodie pæsum in Scholis, & Judiciis consuetudine longissima tanquam Decretales Pontificum, scientibus, & contententibus ipsis, sufficienter publicatæ; sed consuetudo potest id, quod Legislator: ergo idem est, ac si per illum fuissent publicatæ; & consequenter vim legis habent.

Solvuntur Objecta.

272. **O**bjicies I. Summi Pontifices quinque libros Decretalium, Sextum item, & Clementinas solis Doctõribus & Scholaribus Bononia commorantibus transmiserunt, uti patet ex eorumdem proœmiis: ergo hi libri non sunt pro universa Ecclesia promulgati.

Resp. cum Gloffa in proœmio Decretalium Greg. IX. V. *Bononia*, & aliis: Id factum est propter studium, quod tunc Bononiae fuit generalius & communius, præsertim in utroque Jure, ibique ex omnibus mundi partibus Studiosi confluerunt; atque ideo potius Bononiam sunt directæ, quam alio: mandatis interim Pontificis,

Z

titulis, ut iis omnes in Judiciis & Scholis utantur, universos Christianos obligantibus: id quod declarat communis horum librorum in Orbe Christiano usu confirmata receptio; quidquid Galli circa sextum Decretalium caesentur. Quae receptio etiam Extravagantes à telo hujus objectionis, quod illas magis ferit, utpote non ita promulgatas, salvat.

273. Obiicies II. Pleraque harum Juris partium Decretales ad particulares Episcopos vel Praelatos super individualibus controversiis sunt directae, ut patet ex earumdem superscriptionibus: ergo non possunt obligare universam Ecclesiam.

Resp. N. C. nam ex quo ejusmodi decretales publica autoritate, vel usi huic autoritati innixo in Corpus Juris Canonici redactae fuerunt, nullus relinquitur dubitandi locus, quin universalis legis vim & robur obtinuerint. Duo enim sunt, quae regulam aliquam vel legem universalem efficiunt. Primum, si illa lex sit à Legislatore pro tota Communitate edita, & promulgata, est in Corpus Juris Publici non sit relata. Secundum, etsi à Legislatore in causa particulari sit lata, vel ab aliquo privato scite dicta, si autoritate Legislatoris vel usus eidem autoritati innixi in Codicem Legum publicarum, eadem autoritate confirmatum, referatur: juxta illud l. 1. §. Sed neque C. de veteri Jure enucleando: *Omnia nostra facimus, quibus nostram impartimur auctoritatem.* Et hos characteres habent decretales in relatis libris adnumeratae; non vero sententiae Patrum, Leges Civiles, aut Decretales Pontificiae ad particulares directae, relatae in decreto Gratiani, vel in Bullario.

274. Tanta ergo harum Decretalium est autoritas, ut quemadmodum Jus Civile Romanum ubique pene Gentium pro Jure communi habetur; ut nimirum, Jure Patrio & consuetudinario deficiente, causa civiles, ac Reipublicae negotia ex illo dirimantur; & si quid in lege Patria du-

bit occurrat, ex Jure Romano dilucidationem accipiat; ita quoque causa Ecclesiasticae, ac exterior Ecclesiae disciplina Jure Canonico, seu his quinque partibus ejusdem tanquam Jure communi diriguntur, dirimuntur, deciduntur, & si quid difficultatis in Jure Ecclesiastico particulari aut consuetudinario occurrat, ex illa interpretationem accipere debet. Quinimo ea est hujus Juris autoritas, ut etiam in foro civili, & in civilibus causis, si Jus Romanum Civile dubium fuerit, ex Jure Canonico interpretationem sumat, juxta regulam Juris communiter receptam. Ulterius: Si Jus Civile Juri Canonico respiciatur, etiam in foro civili hoc praevalebit, si subit materia peccati. Quae omnia adductis variis diversarum Gentium Auctoribus latius tradit Arturus Duck lib. 1. de auct. Juris Civilis c. 7. qui numero 16. & 17. ex eo vel maxime hoc Jus commendat, quod Principes, & Protestantes Germanici, etsi & Fidem Catholicam, & obedientiam Summo Pontifici debitam, duce Lutero, & Calvino excusserint, Jus tamen Canonicum mordicus contra ipsum Lutherum retinuerint.

§. IV.

De Appendicibus Corporis Juris hodierni in aliquibus editionibus adnecti solitis.

275. **A** Saeculo jam Corpori Juris Canonici ad calcem adjecti solent Institutiones Juris à Joanne Paulo Lancelloto Juri Consulto Perasino conscriptae, ad imitationem Institutionum in quatuor libros divisa. Verum, tamen Author in proemio sui Operis asserat, se opus illud ex mandato Papae composuisse, illudque à Commissariis Papae revisum, & correctum esse; nihilominus quia de publica approbatione non constat, nemo haecenus his Institutionibus auctoritatem Juris impertitur; propterea quod reliquias

Juris

Juris Canonici partibus annectantur; cum necessarium illud publica autoritate factum.

276. Altera Collectio, quae editioni Lugdunensi de A. 1661. est appensa, alibi quoque similiter reperitur, authorem habet Petrum Matthaei J. U. D. Lugdunensem, qui eam sub titulo *Septimi Decretalium* compilavit, eo fine, ut ea suppleret, quae à Corpore Juris absunt, à Sixto IV. ad Sixtum V. scilicet Bullas Pontificum, & decreta Conciliorum in illo intervallo habiturum. Sed, praeterquam quod haec Collectio & privata autoritate sit procreata, & excusa, Doujatius, qui de ea loquitur *Praenotationum lib. 4. c. 26. N. 1. & 3.* eam plurimorum gravissimorum virorum arguit; nam primo dicit, titulum ejusdem ineptum esse, magisque convenire Clementinis, quae sextum Decretalium immediate subsequuntur, quam huic septimo, qui potius respectivo ad reliquas partes nonus dici deberet. Praeterea, inquit ille, author neque librorum, neque titulorum ordinem secutus est, qui in praecedentibus fuit observatus, pluresque novos inseruit, quorum plerique ad aliquem è titulis Decretalium referri potuissent. Denique, omnibus rite discussis, apparet, illum decreta usita omisisse, ac minus necessaria collegisse.

CAPUT VI.

De Jure novissimo è Constitutionibus Ecclesiasticis.

277. **J**US Canonicum novissimum disciplinae, & oeconomiae Ecclesiasticae, sive personas, sive res, sive judicia, eorumque formam, & ordinem spectans, post evulgatas Collectiones, quae hodierno Corpore Juris Canonici continentur, à legitima Potestate editum, & promulgatum est. Hujus generis sunt Decretales, sive Constitutiones Romanorum Pontificum, quas hodie *Bullas* appellita-

mus; Regulae Cancellariae, & Decreta Concilii Tridentini: de quibus jam pauca ad scopum nostrum dicemus.

§. I.

De Bullario Romano.

278. **B**ullarium Romanum à Laertio Cherubino praestantissimo Juri Consulto Romano colligi ceptum, ab eius filio Angelo Maria Cherubino Monacho Casinensi continuatum, per RR. Patres Angelum à Lantusa, & Joannem Paulum à Roma Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiae ulterius productum, & aliorum denique praestantissimorum Virorum opera, ac studio usque ad Bullas moderni Sanctissimi exclusivae, anno, quo haec scribo, 1751. perductum est.

279. Operis hujus praestantissimi, quod tum alibi, tum Luxemburgi praelo subjectum XV. tomos jam complectitur, materia sunt *Bulle* sive Constitutiones Pontificum Romanorum à Leone M. usque ad Clementem XII. inclusive de facto perductae; quas nimirum variis temporibus atque in diversis materiis, vel interrogati, aut interpellati, aut *motu proprio* ediderunt?

280. Haec magni Bullarii Romani Collectio differt à Collectione Corporis Juris Canonici primo, quod in Corpore Juris Canonici praeter Constitutiones RR. Pontificum etiam referantur Canones Conciliorum, Sententiae Patrum, & Leges Civiles; in Bullario autem solae Constitutiones Romanorum Pontificum. Secundo, quod ibi haec Constitutiones referantur *abbreviate*: hic vero *integrae*. Tertio, quod ibi servetur ordo argumentorum, hic ordo temporum, & successione RR. Pontificum.

281. Scopus, quem sibi in adornando vastissimo isthoc opere Viri Illustrissimi praefixerunt, fuit, ut Constitutiones Pontificiae, quae singulari in paucorum, & plurimum

Z 2

rimum